

Incrustati auro fuerunt tabulata & parietes & cistę tēporibus Solomonis. Aureis poculis è philosophis vsus est Arcefilas: aurea corona Pythagoras. Libros literis aureis scriptos, templis donarunt Arnulphus imperator Ratisbonensis: Carolus Magnus Aquisgranio: Otto Magnus Magdeburgico. Templo Mersburgico aram auream, & thecam gemmis ornatam donauit Henricus I. imperator, vt scribit Ditmarus. Aureę tabulę altariũ Constantinopoli & Romę fuerunt, & adhuc sunt Aquisgrani: auro indutę, Ratisbonę visuntur: & in sepulchro D. Elizabethę Marpurgi. Aurũ exitio fuit Sicheo & Amphiarao: pœne, Crasso & Midę. Romanum imperiũ auro vendidit C. Curio, auro vendibile esse prædixit rex Iugurtha. Vsum auri esse in medicinis, non ignorant eruditi. Osiander theologus auream catenam collo gestauit, ne lepra inficeretur. Aurum in mare pro-